

ORATIONES CONCESSIVAE

Iūlius cum liberīs suīs ad portum Ostiēnsem adit. Ibi multae nāvēs subductae sunt.


etsī/tametsī + ind + tamen

Marcus: “Nonne tantae nāvēs merguntur?”

Iūlius: “Naves, **etsī** magnae ac gravēs sunt, **tamen** nōn merguntur.”

Marcus: “Sed omnia magna ac gravia in aquam merguntur!”

Iulius: “Prāvē dīcis, cum nē bālaenae quidem, **tametsī** magnae ac gravēs quoque sunt, **tamen** natantēs mergantur.”



bālaena -ae f

estō (imp fut < esse) = id concēdō

Quintus: “**Estō**. ĭCūr **tamen** saxa, quae magna ac gravia sunt, merguntur?”

quamquam + ind + tamen

Quintus: “Mihi volō, pater, **quamquam** tē rēctē dīcere crēdō, sunt **tamen** rēs magnae ac gravēs quae merguntur.”

etsī/tametsī/quamquam correctivum (sine tamen)

Iūlius: “Equidem nōn dīxī ‘nūllum magnum ac grave mergī’, sed negāvī ‘omnia magna ac gravia mergī’, **quamquam** mē clāriōrem esse oportuit.”

quamvīs + coni (+ tamen) = quantum vīs

Quintus: “Ergō **quamvīs** magnae ac graves sint nāvēs, **tamen** nōn mergentur.”

fac (imp praes < facere) + inf = excōgitā, finge

Iūlius: “**Fac** nāvem māiōrem esse quam montem: nē tanta nāvis quidem mergerētur.”

etiam sī + coni (+ tamen)

Marcus: “Mīrum! **Etiam sī** nāvis māior esset quam mōns, **tamen** nōn mergerētur!”

sī = etiam sī

Quintus: “Nec, **sī** gravior esset, mergerētur.”

sī ... sī / sīve ... sīve

Iūlius: “Ergō iam vidētis id nōn esse in magnitūdine nec gravitāte: **sī** magnae **sī** parvae, **sīve** gravēs **sīve** levēs, rēs mergī possunt.”

ut + coni + tamen/certē

Quintus: “Etiam rēs eādem magnitūdine ac gravitāte quidem eō differunt: **ut** similēs sīmus Marcus et ego, **certē** alter mergitur.”

Iūlius: “Ita est, Quinte, iam id cēpistī.”

licet + coni (+ tamen) = estō, sānē ... sed

Marcus: “**Licet** tū natāre sciās, ego **tamen** celerius currō!”

ut/sicut ... ita/sic = etsī ... tamen

Iūlius: “Ō Marce! **Ut** celer es, **ita** stultē dīcis!”

cum + ind = contrā

Marcus: “Heu! Ego semper reprehendor, **cum** Quintus laudātur! Quid sī natāre nescio?”

(etiam) cum + coni (+ tamen)

Iūlius: “**Etiam cum** natāre scīrēs, **tamen** reprehendus es!”

ōrātiō relātīvī: (etiā) quī, quisquis

Iūlius: “Nōne tē pudet frātre tuum Quintum, **quī** minor est quam tū, probiōrem esse?”

Marcus: “Profectō probior est: **quidquid** agit, laudātur.”

participium

Iūlius: “Quintum laudō, nōn quod natāre sciat, sed quia nōn omnia magna ac gravia mergī intellēxit; tū autem, rēctē **audiēns**, nōn cēpisti!”

ablātīvus absolūtus

Iūlius dicit ‘filiōs, **iisdem audītīs**, nōn pariter intellēxisse.’

VOCABVLARIVM

capere: intellegere

con-cēdere = dare, dīcere alterum rēctē dīxisse

concessīvus -a -um = quī concēdit

correctīvus -a -um = quī corrigit

dif-ferre = dissimilis (↔ similis) esse

ingere = excogitāre

gravitās -ātis *f* < gravis

magnitūdō -inis *f* < magnus

mihi volō = significō

pariter *adv* = aequē

sub-dūcere = dē mari in lītus dūcere



*Ioannes Paulus Ferdinandi Fluminis sive Murgensis
hoc textum auxiliare ad methodum LLPSI composuit
a.d. X kal. Aug. MMXI*

Hoc opus consignatum est sub [Creative Commons diplomate](#)